



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **CHRISTIFIDELES NUCERINI** IMAGO BEATAE MARIAE  
VIRGINIS, QUAM POPULUS «SANTA MARIA  
DELLA PURITÀ» NUNCUPAT, IN TEMPLO MONASTERII CARMELITARUM  
EPISCOPALIS URBIS NUCERINAE PAGANORUM OBSERVATA, PRETIOSO  
DIADEMATE REDIMIRI SINITUR «NOMINE ET AUCTORITATE SUMME PONTIFICIS» Ad perpetuam rei memoriam. –  
Christifideles Nucerini Paganorum ac praesertim sodales saecularis Instituti cui nomen vulgo «Pia Unione Ammalati  
Cristo Salvezza» peculiari cultu venerantur imaginem Beatae Mariae Virginis «Santa Maria della Purità» appellatae quae  
decimo septimo saeculo, rogante moniali Venerabili Seraphina a Deo, Carmelitis Sororibus in eadem urbe episcopali  
degentibus donata fuit a Praeside Camerae Neapolitani Regis. Hoc igitur anno cum, ut allatum est, ter centenaria ibidem  
agantur sollemnia, Venerabilis Frater Iolandus Nuzzi, Episcopus Nucerinus Paganorum, datis litteris die XVI mensis  
superioris Aprilis, cleri populique sui referens vota, a Nobis enixe postulavit ut illa clarissima imago Nostro nomine et  
auctoritate pretioso posset diademate coronari. Nos vero singulare benevolentiae Nostrae documentum isti dilectae  
communitati cupientes largiri, per has Apostolicas Litteras Venerabili Fratri Nostro Iosepho S. R. E. Cardinali Casoria,  
Praefecto Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, eas partes libentes committimus ut imagine Beatae  
Mariae Virginis, quam diximus, Nostro nomine et auctoritate pretiosam imponat coronam, iuxta probatum liturgicum ritum.  
Minime autem dubitamus quin concessus honor in religionis bonum inque populi spirituale emolumentum bene vertat;  
pariterque fore confidimus ut eius loci incolae, quin immo totius Nucerinae Paganorum dioecesis fideles ad gloriosam Dei  
Genetricem colendam magis usque infiammentur atque novis vinculis cum hac beati Petri Sede, omnium Ecclesiarum  
Matre, coniungantur. Contrariis quibusvis rebus neutquam obsistentibus. Ceterum, capta occasione, Deum eiusque  
castissimam Matrem in vota vocamus ut tum Venerabilem Fratrem Nostrum Iosephum S. R. E. Cardinalem Casoria  
aequissimis respiciant oculis, tum Venerabilem Fratrem Nucerinum Paganorum Antistitem clerumque populumque Nobis  
carissimos donis omne genus accumulent. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die II mensis  
Maii, anno Iubilaei reparatae salutis MCMLXXXIII, Pontificatus Nostri quinto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis  
Ecclesiae negotiis © Copyright 1983 - Libreria Editrice Vaticana